

A.

NRNM

XXXIII

375/18-
h sh

16.

ANACREON NVPTIALIS:
 REVERENDO, NOBILISSIMO, DOCTISSIMOQUE
 DN. MAXIMILIANO
 HONORIO à Franckenberg/
 orthodoxo, fideli, atque vigilanti gregis Dominici Pastori
 in Kalckenstein & Samarein an der Strass/
 tertium Sponso,
 veteris amicitiae causa, transmissus

à
 M. Johanne Buringero, patrii Gymnasii
 Posoniensis Aug. Conf. h. t. Rectore.
 A. O. R. cl. Id. LXX. decimo octavo Cal. Maji.



Quod ipse suspicabar,
 Non me venire posse,
 Ad nuptias vocatum,
 Id, AMICE, contigisse,
 Miraberis: sed audi,
 Quæ causa sit coorta;
 Non improbanda sanè:
 Nec, quæ colore fallat,
 Et Rhetorum figuris.

Schola, ceu Minerva, nostra
 Hoc vere lustrat arma
 Exercitus togati,
 Discentium phalangem
 Velut ordinans magistra,
 Me signa præferente.
 Hæc Sparta mandat aram,
 Domique mansionem.
 Interpretis proinde
 Loco sit ista charta;
 Bona verba comprecetur
 Anacreon Latinus:
 Hoc nuptiale carmen.
 Quid mi precaris, inquis,
 Venerande Sponse? dicam:
 Feliciora Fata,



Quam quæ fuere pridem.
 TE protegat, tuamque
 Divina dextra Sponsam,
 Virtutibus probatam,
 Et virginum coronam.
 Non forma, non monile,
 Non annulus, vel aurum,
 Non jaspis æstimanda
 Pretio suo videtur,
 Nisi majus adsit illud,
 Pretiosiusque gemmis
 Bonum, bonos, beatos
 Reddens; virile nomen,
 Originis Latinæ,
 Ornans, decensque VIRTUS,
 Haud differente sexu.
 Ades pudica virgo,
 Virtute Pasicompsa;
 Gaude novo marito;
 Pio, probò marito!
 Dei benigna cura
 Conservet, & gubernet,
 Vos conjuges, beetque
 Thalami (quod oro) fructu,
 Feliciter VALENTES!

POSONII exprimebat Gottfriedus Gründer.

RMKT. 1111